

6. Fossam cavat non modicam
Intus ponens agniculam,
Et, ne pateret hostibus,
Superne tegit frondibus.
7. Humano datum commodo
Nil majus est ingenio;
Lupus, dum nocte circuit,
Spe praedae captus incidit.
8. Accurrit mane presbiter,
Gaudet vicisse taliter:
Intus protento baculo
Lupi minatur oculo.
9. 'Jam' inquit, 'fera pessima,
Tibi rependam debita:
Aut hic frangetur baculus,
Aut hic crepabit oculus!'
10. Hoc dicto simul impulit,
Verbo sed factum defuit,
Nam lupus servans oculum
Morsu retentat baculum.
11. At ille miser vetulus,
Dum sese trahit firmissime,
Ripa cedente corruit
Et lupo comes incidit.
12. Hinc stat lupus, hinc presbiter,
Timent sed dispariliter,
Nam, ut fidenter arbitror,
Lupus stabat securior.
13. Sacerdos secum mussitat,
Et septem psalmos ruminat,
Sed revolvit frequentius:
'Miserere mei deus!'